



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

4. De Christo causa promerente & efficiente huius soliditatis virtutum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

possibili perfectione, absque omni spe præmij, omnium possibilium creaturarum possibili affectu, in finem usque mundi, imò in æternum & ultra earundem actus frequentandi pro diuino beneplacito. Quot, quàm incomprehensibilia Christus tota vitam tempore vitæ priuatæ, quàm prædicationis & passionis huiusmodi desideria multiplicarit? idque eo affectuosius & diuinius, quò cognoscebat clarius 1. In finitam Maiestatem Dei infinitis obsequijs esse dignissimam. 2. Gratißima esse eidem eiusmodi desideria, quæ pro factis ipsis acceptet. 3. Nobis eadem esse utilissima, quibus defectum imperfectorum operum nostrorum supplere possimus, Affectus ijdem.

De Christo causa promerente & efficiente huius soliditatis virtutum. IV.

I. **E**Xpende, quàm superabundantem nobis Christus promeruerit gratiam omnium virtutum tum internos tum externos actus cum heroicis supra vires desiderijs, cum eximia perfectione frequentandi modo

Gg 4

supra

supra inſinuato, tot ſupereminentiſſimis virtutum actibus internis externiſque frequentatis, cum tot diuiniſſimis deſiderijs ſuperadditis, & quidem tota vita ſingulis pene momentis, quorum ſinguli erant infiniti valoris: idque ex incenſo maioris noſtræ ſalutis & perfectionis zelo, in quem etiam finem eorſdem virtutum actus, atque heroica deſideria æterno Patri pro ſingulis Electis obtulit, & peculiariter applicare decreuit.

Quanta illa Saluatoris charitas, quanta liberalitas? quanta ergò fiducia & alacritate, ad præceſſum virtutum culmen, per ſupradicta media foret nobis contendendum? Gratitude, amor, ſpes, & zelus proficiendi in ſoliditate virtutum.

II. Quam paratus ſit tam vberem nobis olim promeritam gratiam nunc reipſa applicare, præſidijsque eiſdem gratiæ excitantis, comitantis, ſubſequentis nos præuenire, adiuuare, confortare in congruis ad ſupremum virtutum apicem pertingendi medijs adhibendis, imò & nobiſcum cooperari in omnibus & ſingulis, tam internis quàm externis virtutum actibus, heroicisque ſupra vires deſiderijs eliciendis.

Quis

Quis tanta dignatione benignissimi & amantissimi mediatoris nostri, qui potest, scit, & vult adiuuare infirmitatem nostram, non accendatur ad ipsum redamandum, atque ad strenuè tantæ eius gratiæ cooperandum? Gratitude, amor, zelus cooperandi gratiæ Christi in medijs ad virtutum culmen pertingendi vsurpandis.

III. Quàm suauiter & efficaciter nos inuitet, trahatque ad eximium conatum cooperandi suæ diuinæ gratiæ in excellenti, per idonea media, prædicta virtutum soliditate consequenda. 1. quidem funiculis huius inæstimabilis charitatis, ex qua olim nobis tot lacrymis, tanto sudore & sanguine gratiam necessariam promereri dignatus est, & nunc applicare, & nobiscum quodammodo in virtutum exercitio laborare dignatur. 2. Promissionibus tot tamque eminentium huius & futuræ vitæ præmiorum. 3. Minis tot tamque grauium, huius & futuræ vitæ suppliciorum, pigris & tepidis debitorum. Affectus ijdem.

Gg. s.

DE